



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

VI. De Oratione publica & solemni, indicta pro regraui coram SS.
Sacramento, quae dicitur quadraginta Horarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9459

negligatur, cum populus à debita ipsius ter maximi Sacramenti veneratione, & oratione ad curiosum ornatus puerilis, & quasi comica cuiusdam actionis auocetur aspectum.

§. 41. Aduertant Sacerdotes, qui posteriores sunt, ne nimium se elongent à SS. Sacramento.

§. 42. Continuatè, vniformiter, & sine vlla intermissione laicorum Religiosi & Clerici incedere, nec vnquam subsistere debent; nisi necessitas id postulet. Atque si contingat eos transire ante SS. Sacramentum quod fortè defertur ab alijs non propterea debent firmare se, multò minus vna Processio, aliam sibi obuiam cum Monstrantia SS. Sacramenti benedicere.

§. 43. Dum Celebrans benedicit populum cum Sanctissimo Sacramento hunc ritum seruare debet: stans enim versus populum Monstrantiam cum SS. Sacramento ante pectus tenet deinde eleuat illam decenti mora, non super caput, sed tantum ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum recta attollit vnde ad pectus, & deinde ad sinistrum humerum mox ad dexterum, & rursus ante pectus ducit, ibique aliquantulum sistit, quasi peracta ad omnes partes mundi Cruce eam etiam omnibus præbeat venerandam, tum gyrum perficit ac reponit.

§. 45. Ad processionem bene instituendam necessarium quoque videtur vt magistratus loci in quo Processio institui contingit tempestiue præmoneatur ad cohibendam & coercendam impiorum insolentiam, vel ad impediendum ne in via, qua procedendum erit, osculenta aut poculenta vendantur, vel ad remouenda quaecumque alia, quæ ad excitandam veram deuotionem non faciunt, sed potius ad vanitatem animos trahunt, & à Sanctis cogitationibus auocant.

TITVLVS VI.

De Oratione publica & solemnī, indicta pro re gratulacione coram SS. Sacramento, qua dicitur Quadragesima Horarum.

1. **V**T hæc tam sancta tamque laudabilis actio vbique nunc recepta, & à sanctæ memoriæ

M 7

Clemente

Clemente Octauo instituta, laudabiliter vel potius summa cum deuotione continuata ritè, & vt æquum est, celebretur, de qua vberimos fructus & infinita commoda fidelium mentes Orationis pabulo refectæ mirabiliter colligunt; hæc accuratissimè obseruanda sunt.

2. Pridie inchoandarum Precum Campanæ vt in Festis solemnioribus fieri solet, meridie & sub vesperam, (quod & triduo orationis seruatur) compulsabuntur, addita pulsatione matutina quotidie ad precum initium, vt populus ad orationem inuiteretur.

3. Templum in quo preces 40. horarum habebuntur, ea præsertim parte, qua augustissimum Eucharistiæ Sacramentum exponetur adorandum, quam poterit venustissimè ornetur, nullis tamen tabulis aut tapetibus profanum quid exhibentibus; & non nisi in vno cuiusuis Ecclesiæ Altari, eoque summo, vel alio (si quod fortè ad aspectum & deuotionem populi commodius fuerit) istud ter maximum Sacramentum in Monstrantia parenter exponatur. Altare verò hoc sic disponatur vt nihil ad aspectum ipsius Sanctissimi Sacramenti impediat, & in eodem Altari, quamdiu Sacratissimum hoc Sacramentum patens & apertum est expositum, vel duo quatuor, minimum ceteri continentur ardeant.

4. Alia etiam Altaria per Ecclesiam, vt in festis præcipuis parenter solemnè & magnifico ornatu, adhibitis velis & candelabris pretiosis cum cereis ceræ albæ, vasculis, floribus, vel naturalibus vel arte factis inter dicta candelabra, ac circum circa benè depositis, sacræ imagines, si fieri potest, cum alijs Ecclesiasticis ornamentis apponantur, atque pretiosiora ornamenta pro celebratione Missarum, etiam priuarum adhibeantur; Ecclesiæ etiam parietes pannis pretio-

sis,
orne
ome
sapia
5.
ta h
pell
iam
miss
para
ind
rio
tjjs
mu
se
in S
culi
chl
te,
stic
cep
Sac
Sac
mu
lo
ali
era
se
me
sus
erg
eru
M
dic
th
Al
pro

sis, & taperibus convenientibus decentissimè ornentur. Vitetur tamen omninò apparatus omnis profanus, & qui deuotionem non sapiat.

5. Ipso die dum fit initium precum quadraginta horarum, Sacerdos manè hora quinta superpelliceo desuperque Stola, & si haberi possit etiam Pluuiiali albi coloris, vel si ea vice statim missam priuatam celebraturus sit Sacerdotalibus paramentis coloris officio Missæ convenientis indutus in Sacristia, præcedentibus Thuriferario & ceroserarijs egreditur, & accensis intortijs seu facibus accedit ad locum vbi Sanctissimum Sacramentum asseruari solet, ibique genuflectens aliquantulum oret, interim ab aliquo in Sacris constituto aperitur ostium Tabernaculi, quo aperto Celebrans surgens, accepto cochleari, ac Ministro nauiculam thuris porrigente, ter imponat thus thuribulo absque benedictione: mox in supremo gradu genuflexus, accepto thuribulo, triplici ductu augustissimum Sacramentum incenset facta ante & post eiusdem Sacramenti incensationem profunda capitis simul cum Ministris inclinatione: tum sumpto velo oblongo, quod ei apratur circa humeros per aliquem ex ministris, ascendit ad Sanctissimi Sacramenti locum, repetita ante illum genuflexione, accipit Monstrantiam cum ipso Sacramento, eamque ante Altare ad id præparatum versus populum tenens, sub cantu Versiculi *Tantum ergo, &c.* semel benedicit populum in modum crucis nihil dicendo, & circulum perficiendo. Mōstrantiã ipsam super Corporale in Altari prædicto substratum deponit: atque per aliquem Acolythum ablato velo, impositoque ante infimū gradū Altaris incenso, vt supra, in thuribulū, in medio supremi Altaris grad⁹ genuflex⁹, accepto thuribulo,

iterum

iterum Sacrosanctum Sacramentum ter thurificat, præmissa etiam semper & subsequuta profunda capitis inclinatione vt supra.

6. Ne verò populus conuocatus pulsus matutino, & spe benedictionis excipiendæ, moræ impatiens confestim diffuat, succedat continuo sacrum matutinum.

7. Exposito SS. Sacramento, vbi moris est, Horæ canonicæ tractum, attentè ac deuotè cantantur de officio occurrente nequaquam autem aliquo votiuo, veluti de SS. Trinitate; SS. Sacramenti, B. Mariæ Virgine aut Patrono Ecclesiæ. In Laudibus ac Vesperis ad cantica *Benedictus* ac *Magnificat* thurificatur SS. Sacramentum & altare in quo idem expositum est, obseruatis diligenter genuflexionibus debitis & reuerentialibus actibus omnibus ad dignitatem ac reuerentiam tanti Sacramenti spectantibus. Sicubi verò Horæ matutinæ cantari non consueuerunt, Litaniam omnium Sanctorum cum precibus & collectis post expositionem ss. Sacramenti statim dicantur.

8. Missa conuentualis siue solemnis dicenda est de ss. Sacramento, etiam si sit dies Dominica, vel festum duplex per annum cum albis paramentis. In Cathedralibus tamen Ecclesijs & Collegiatis, diebus priuilegiatis & alijs assignatis in Missali recognito titulo de Translatione festorum, dicuntur duæ Missæ, vna post Tertiam de die, nisi sit dies ieiunij priuilegiatus, alia de ss. Sacramento solemniter post Nonam, in qua dicitur *Gloria in excelsis*, & *Credo* Præfatio de Natiuitate, & vnica Oratio.

9. Si verò vnica tantum Missa celebretur vt in festis & Dominicis primæ aut secundæ classis, ea quidem erit de festo, aut Dominica in paramentis officio conuenientibus, cum commemoratione

tion
Miss
diei
iuné
non
ic
dieb
verò
tini
ueni
rius
seri
ri
nibu
bus
plu
Stol
ris a
inde
uini
de ce
nem
Acc
ten
por
ind
cep
fica
inc
ap
per
stra
am
Ca
dat
reu
cla

tionem Sanctissimi Sacramenti. Priuatæ autem Missæ, siue quæ leguntur, correspondeant officio diei occurrentis, si verò votiuæ sint, celebrantur iuncta Regulas Rubricarum generalium, vt in ijs non dicatur *Gloria in excelsis*, nec *Credo*.

10. Circa horam quintam prioribus duobus diebus precum inchoatur Completorium, tertio verò die hora sexta, nisi fortè alicubi in ipsius ultimi diei, vel præcedentium dierum manè præueniendo aut vespere protrahendo quadragenarius horarum numerus prudenter expletus censeari possit.

11. Post Completorium cantantur, flexibus genibus Litanix Lauretanæ cum *Vers.* & *Resp.* quibus Sacerdos superpelliceo & albi coloris stola pluuiæque, vel (si hoc haberi nequeat) saltem stola indutus, stans ante infimum gradum Altaris addit Collectam de Beatissima Virgine. Deinde cantata à Choro Antiphona. *O sacrum conuinium, &c.* aut *O salutaris Hostia, Versu Paterni de celo, &c.* dicit *Dominus vobiscum* & Orationem de ss. Sacramento ex libro quem tenent duo Acolythi genuflexi ante eum, vel ipse eundem tenet, quibus dictis ibidem adhuc stans ter imponit incensum thuribulo absque benedictione, inde in medio supremi gradus genuflexus, accepto ipso thuribulo, ss. Sacramentum ter thurificat facta ante & post thurificationem capitis inclinatione, mox sumpto velo oblongo, quod ei aptatur per aliquem ex ministris surgit, atque repetita iuxta Altare genuflexione accipit Monstrantiam cum sacrosancta Eucharistia, atque ambabus manibus versus populum tenendo sub Canticum *Genitori genitoque* vnicam nihil dicendo dat populo benedictionem, & gyrum perficiens reuerenter reponit in Tabernaculo, genuflectit, claudit illud, descendit in planum, vbi vnicam

genu-

genus flexit, capit biretum, & recto capite descendit in Sacristiam.

12. Tertio siue ultimo die precum decantatis Litanij Lauretanas cum *Versis & Collectis* de Beatissima Virgine in gratiarum actionem pro omnibus feliciter peractis subiungi potest *Te Deum laudamus* cum *Versis Resp. & Collectis* ut in Rituali Romano *Tit. Preces dicenda in Processione gratiarum actione*: deinde alijs numero precedenti prescriptis absolutis: precibus quadraginta horarum imponetur finis.

13. Ne vnquam coram augustissimo hoc Sacramento in Altari patenter exposito sit solitudo, minimum duo semper Ecclesiastici vel Religiosi, vel certe vnus, si alter haberi nequeat, intra cancellos in scamno ante medium Altaris praedicti preparato, genu flexi, superpelliceis induti, & nudo capite deuote orabunt per horam, sub cuius initium legent Litanias omnium Sanctorum cum *precibus & Collectis*, & alias pias Orationes; neque ante discedent, quam alij duo successerint, praeterquam dum Matutinae, Horae minores, summum Sacrum Vesperae & Completorium decantantur, catalogo orantium ad id descripto, & in Choro, seu alio patenti loco affixo.

14. Simili ferie atque continuatione bini saltem & binæ ex utroque sexu in diuersis scamnis ad hoc extra cancellos dispositis, quorum illi in scamnis quæ ad dextram sunt, hæ ad sinistram flexis perpetuo genibus, communem Dominum adorare possunt per integram quoque horam, & humili animo ac feruenti pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, alijsque Ecclesiæ necessitatibus precantur, atque exemplo suo alios aduentantes incitent.

rent. Quapropter Pastores seu vice Pastores omnium suorum parochianorum nomina vno catalogo comprehensa, in singulas diei horas toto hoc precum triduo distribuant, eumque publico & congruo Ecclesie loco suspendant, quo quisque ex populo intelligat, qua hora & quo ordine oraturus sit, quin & singulos suos Parochianos per schedulas inuitent suam cuique horam assignando. Ad quam piam curam omnes Christi fideles seridè adhortari possunt maximè verò Sodales Confraternitatis ss. Sacramenti, aut alij deuotæ Confraternitatis confratres qui habitu confraternitatis induti, si ea sit consuetudo, bini etiam per vices ibidem orationi vacare possunt.

15. Ut maior religio templis accedat, & populo seruiendi Deo opportunitas, Sacerdotes omnes in eadem Ecclesia singulis precum diebus celebrent, & quantum fieri poterit provideatur, vt qui matutino tempore oraturi adueniunt, nunquam altaria prorsus à sacrificio Missæ vacua deprehendant. Quod vt fiat commodius, inuabit alios quoque Sacerdotes tam seculares quam Regulares vicinos opportunè ad hoc inuitare. Qua in re vt ordo seruetur, nec omnes vna hora simul ad Altare concurrant, reliquo autem tempore nullus in templo Sacerdos sacrificium offerens reperiat, sed reuerenti cum decore, dignitateque alter alteri succedat, curent Ecclesiarum Superiores, aut eorum vices gerentes, vt per singulas saltem semihoras Missa inchoetur, catalogo Celebrantium aptè descripto, & in Ecclesie Choro vel Sacristia affixo: sic enim & Sacris mysterijs maior redibit reuerentia, & populo erit gratior ad templum quotidie veniendi occasio.

16. Exoptandum est, vt sicubi occasio sese

com-

commoda offert, triduo Precum durante subinde quadrantis vnius horæ spatio per Concionatorem indutum superpelliceo, stolaque desuper pendente è collo & detecto capite non è suggesta ob reuerentiam sacratissimi Sacramenti, sed ad cornu Euangelij Altaris supradicti stantem, frequentior populus pia & feruenti exhortatione ad benè orandum exciterur.

17. Scholæ, Catechismi, & similes paruulorum Congregationes, suas itidem habere possunt horas, quibus interdum pro sua commoditate, pulchro ordine ad Christum in Ecclesias sibi viciniore, durante 40. Horarum Precum triduo religiosè conueniant, eumque pia oratione, cantu, recitatione Rosarij etiam clara & similibus obsequijs venerentur, vt vel ea ratione potentibus apud Deum innocetium precibus Diuinæ Maiestatis furor extentus placeatur.

18. Pastores, Concionatores & Catechistæ omnes singulis diebus Dominicis præmonere debent subditos & auditores suos, quibus diebus & Ecclesijs per hebdomadam preces 40. Horarum continuabuntur.

ANNOTATIONES.

§. 1. In seruandis precibus quadraginta horarum diligenter obseruanda sunt quæ *vis. 4.* de Missa solenni coram SS. Sacramento celebranda, & in Annotationibus ipsis ibidem præscripta sunt.

§. 2. Ad Horas Canonicas conuenientes Ecclesiastici nudo stent semper capite, nisi propter longitudinem Officij sedere cogantur, vt ad Psalmos, & Lectiones, & etiam in Missa ad Epistolam & alia; sed eo casu semper nudum caput habeant.

§. 3. Ad Vesperas, si dicantur, Celebrans indutus esse debet superpelliceo, & stola seu pluuiali Coloris officio conuenientis Incensum ad *Magnificat*, benedicitur sine osculis, & Sanctissimum Sacramentum incensatur genibus flexis, & postea altare, & genuflectitur toties quoties transitur altare.

§ 4. Toto

§. 4. Toto tempore Orationis nullus secularis multò minùs mulier quãuis monialis exposito SS. Sacramento intra Presbyterium ingredi debet; quacumque ex causa, siue ad emungendos vel accendendos cereos, hoc enim ad solos Clericos pertinet, præterea nullus Clericorum ingrediatur, nisi habitu choralis, aut saltem superpelliceo indutus.

§. 5. Tam in precibus 40. horarum, quàm alio quocumque tempore SS. Sacramentum, pro adoratione populi, non nisi in vno cuiusvis Ecclesiæ Altari exponendum est, ideoque si Ciborium seu Pyxis cum sacris paruis hostijs in alio Altari necessariò exponendum esset, (quod tamen non conuenit tabernaculo enim includendum esset, & tempore communionis tantum extrahendum) tunc nihilominus non tota die expositum manere debet, sed statim cessante distributione Sacræ Communionis ad locum suum in quo asseruari solet reuerenter reportandum erit.

§. 6. Preces 40. aut 10. horarum fieri non possunt ad voluntatem cuiuslibet Superioris, sed tantum Ordinarij Episcopi Diocesani auctoritate vel consensu multò minùs ex particulari secularium aut totius (etiam Magistratus deuotione sine Episcoporum requisitione & approbatione *Clementis Papa VIII. constitutio 4. Bullarij tom. 3. in appendice.*

§. 7. Præterea sciendum quod in precibus 40. vel 10. horarum, aut quocumque alio tempore nunquam liceat publicè alias decantare Litanias, quàm omnium Sanctorum, aut de B. Maria Virgine in sacra Æde Laurentana dici solitas, vel à Congregatione sacrorum Rituum approbatas, vti constat ex hac constitutione Clementis Octauj Pontificis Maximi.

Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa VIII.

Quoniam multi hoc tempore privati etiam homines prætextu alenda deuotionis, nouas quotidie Litanias euulgant, ut iam prope innumerabiles formæ Litaniarum circumferantur, & in nonnullis inepta sententia in alijs (quod grauius est) periculosa & errorem sapientes inueniantur, pro sollicitudine sua pastoralis providere volens, ut animarum deuotio, Deique ac Sanctorum inuocatio, sine ullius detrimenti spiritualis periculo foueatur.

Præcipi & mandat, ut retentis antiquissimis & communibus
Litanijs,

Litanijs, quæ in Breviarijs, Missalibus, Pontificalibus, & Ritualibus continentur, nec non Litanijs de Beata Virgine quæ in Sacra Aede Lauretana decantari solent, quicunque alias Litanijs edere vel tam editis in Ecclesijs sine Oratorijs, siue Processionibus, uti voluerint, eas ad Congregationem Sacrorum Rituum recognoscendas, & si opus fuerit corrigendas mittere teneantur, neque sine licentia & approbatione prædictæ Congregationis eas in publicum edere, aut publice recitare præsumant sub pœnis (ultra peccatum) arbitrio Ordinarij, & Inquisitoris severe infligendis.

Præsens Decretum factum fuit in generali Congregatione Sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali, coram prædicto Sanctissimo Domino Nostro, ac Illustrissimis & Reuerendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus aduersus hæreticam prauitatem generalibus Inquisitoribus, VIII. Idus Septembris, Anno Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi 1601.

Quintilianus Adrianus
Not.

TITVLVS VII.

De Missa solemnî pro defunctis.

*Cerem. Epif. 1.
lib. 2. c. 11.*

CVM solemniter Celebrandum erit Missæ Sacrificium pro defunctis, Altare & omnia alia, paramenti nigri coloris, absque tamen imaginibus mortuorum, mortis, lachrymarum, ossium in modum Crucis, aut aliarum huiusmodi, cooperire debent. In ipso autem Altari præter Crucem, & Candelabra, nullus omninò ornatus apponatur, non flosculi, non Sanctorum Reliquiæ, imagines, vasa, aut alia id genus ad ornatum pertinentia.

*Cerem. Epif. 2.
lib. 2. c. 11.
Gauantus
Part 2. Tit.
13. n. 2.*

2. Cerei omnes erunt ex cera communî, non alba.

3. Credentia erit simplex cum linteo breui, super quam ponentur necessaria cum duobus candelabris & candelis accensis ex cera communî.

A. Præ-